

cidia et nefanda scelera in ipsa commiserat civitate. Nolentes ipsius civitatis viri eum in ea propter gravissima et iniqua facinora stare nec habitare, turpiter ipsum de ipsa expulerunt civitate. Qui ad partes fluvii Silichon¹ accedens, iuxta illum fluvium suam construxit munitionem, que ab ipso Laudo dicta est Lauda².

In illo vero tempore Grisopolus de Agusta civitate ortus *f. 27^a. est, vir sapiens et nobilis, *propter quandam seditionem, quam in ipsa habebat civitate, collecta omni gente quam potuit, de ea exiens urbe, ad Parme fluvium perveniens suam condidit civitatem; que ab ipso Grisopolo vocata est Grisopolis³. Post hec Gallorum viri in Italia existentes civitates, loca et castra innumerabilia fecerunt et constituerunt, universam quoque Italiam ipsi et ab eis descendentes usque ad tempus Iulii Cesaris libere tenuerunt.

Gesta Iulii Cesaris Romanorum imperatoris⁴.

Iulius Cesar Romanorum imperator de consensu et voluntate senatus Rome innumerabilem multitudinem Romanorum virorum bellicorum senatus et totius gentis illarum partium congregavit, ad utramque Galliam subiugandam et suppeditandam pergere proponentes. Videns autem idem imperator per Alpeninos montes transitum cum exercitu suo minime facere posse, per quos Romam visitantes ad ipsam urbem soliti erant accedere, per planiciem inter Padi fluentia et ipsos montes equitare proposuit. Constituit namque Apium Claudium, virum sapientem et prudentem, in machinis belli construendis peritissimum, ipsius operis [magistrum⁵]. Ab introitu quidem Italie per Emiliam usque ad Gallorum fines viam Claudiam construxit et fieri fecit, que dicta est Claudia ab ipso Claudio. Permanentes etiam in Italie partibus in anno uno et mensibus quinque, ipsam superavit et tributariam Romano imperio fecit. Viros quoque nobiles cepit, quos ad Romam misit civitatem, *f. 27^b. *et ipsos ibidem in carceribus custodiri fecit. Aurum vero et argentum et cunctam pecuniam, quam habebant, tulit et inter milites suos divisit. Accedens autem Iulius Cesar ad montium fines ipsos magno labore cum gente sua conatus est transire. Stetit namque Iulius Cesar cum omni exercitu suo in Gallia Transalpina per duo lustra, omnes civitates eius, loca et castra, munitiones subiugavit et omnes Romano imperio tributarias

1) Dass dieser Name frei erfunden ist, kann nicht zweifelhaft sein. Lodi liegt bekanntlich an der Adda. Der Gründer der Mailand feindlichen Stadt muss natürlich ein schlechter Kerl gewesen sein, den die Mailänder vertrieben haben. 2) Das hat Galv. Flamma c. 16, der da von dem Serio-Fluss spricht. 3) Der Name Chrysopolis für Parma kommt auch sonst gelegentlich vor, z. B. bei Donizo I, 846; SS. XII, 368. Vgl. Galv. Flamma c. 15. 4) 'imperator' Hs. 5) Fehlt Hs.